



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

S. Mathildis Henrici I. Boiorvm Dvcis Mater, Henrici Regis Cognom. Avcvpis
Vxor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

S. MATHILDIS

HENRICI I. BOIORVM DVCIS MATER,

HENRICI REGIS COGNOM.

AVCVPI Vxor.



Iua Mathildis alijs Mathilda alijs Mechtildis nuncupata ex antiquissima & nobilissima VVitichindi Saxonum Principis, qui triginta totos annos aduersus Carolum M. belligerauit stirpe, hac serie descendit:

VVitichindus M.

V Viguerus

V Valpertus

Theodoricus primus Comes Ringelheimensis & Alteburgius.

Mathildis.

Hac nupsit Henrico Aucupi Germaniæ regi, Othonis M. imperatoris & Henrici I. Boiariæ Principis parenti, filio Othonis Saxoniæ Ducis. Ita Mathildis & Henricus ab eodem capite genus accersunt, quorum Bruno proauus Henrici frater Germanus fuit VValperti, aui Mathildis, quæ sanè generis incliti splendorem illustribus virtutum studijs non solum æquauit, sed longè etiam superauit. Testatur VVitichindus antiquissimus & prope illorum temporum æqualis scriptor se feminæ sanctissimæ virtutes nec ingenij modo nec vlla eloquentiæ copia assequi posse: Illam sibi modicum domicilium propter ædem sacram constituisse, contentam exigua breuique somni quiete, de multa nocte surrexisse, templum adiisse, ibidémque votis & precibus intentam præstolatam donec res diuina publica cerimonia fieret. Interim nec ipsam nec familiam eius vnquam à laudibus Deo dicendis cessauisse: tres tantorum cantatricumque classes instituisse, quorum chorus puellarum in ipso ipsius domestico conclauis numen cantu celebrarent; alterum extra

10 CCCCLXIX.

Prid. id. Mart.

Serar. ex M. S. p. 633

et 689.

Fabric. mortem eius

anno sequenti notat.

Martyrolog. Rom.

Prid. id. Mart.

Baron. eadem die.

VVitichind. Saxo.

Luitprand. l. 4. c. 7.

Petrus Cratopol. de

SS. German. p. 209.

qui Mechtildem vocat.

Cranz. Saxo. p.

70. l. 3. c. 2.

Fabric. l. 2. p. 104.

et 125.

Nicolaus Reusner.

p. 15.

rum extra cubiculum; tertium virorum in ipsa via inter fores templi & domus. Addunt alij illam omnia Davidis carmina memoria complexam quotidie recitasse: post deinde secundum cultum diuinum, versam ad miserorum curam, agris opem quam potuerit attulisse, egentibus sua manu benignè fecisse, peregrinos & hospites largis donis muneribusque prosecutam, neminem denique illius subsidium implorantem, absque spe, ope & auxilio dimissum. Aduentantibus vel procul è fenestra prospectis submissa ab illa xenia cum victu. Ita seculi sui Mathildis matrona religiosissima verum virtutis fuit exemplum, multis cælestium bonorum gratijs aucta, conscia diuinorum. Guilelmo ex Othone filio nepoti, pontifici Moguntino mortem prædixit, pro salute defuncti preces indixit, quibus illum egere testata est, ipsa XII. post die nepotem secuta in cælitum societatem rescripta. Iuuabit excitare & audire testes ipsos illius mores, virtutes, laudes, facta denarrantes. VV. tichindus primus esto: Eodem tempore quo hæc intra Italiam gerebantur summus pontifex VVilhelmus (summum pontificem in sua prouincia Archiepiscopum appellat) Archiepiscopus Moguntinus vir sapiens & prudens, pius & cunctis affabilis a patre sibi commendatum regebat Francorum imperium. Cuius mater licet peregrina nobili tamen genere erat procreata. Hic cum audisset egrotare cæpisse matrem Imperatoris mira sanctitatis famam nomine Methildam, dumque eius expectat funus, proprio funere ipsius funus præcedit. De cuius laude si aliquid dicere cupimus, desicimus: quia omne argumentum ingenioli nostri superat virtus tanta femina. Quis enim digne possit explicare eius vigilantiam erga cultum diuinum? omni nocte, omnibus modis, & omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodia implebat. Erat enim ei cellula Ecclesiæ proxima, in qua modicè quiescebat, de qua omnibus noctibus consurgens intrat Ecclesiam nihilominus cantoribus & cantatricibus intra cellulam & proforibus & in via triformiter constitutis, qui diuinam clementiam laudarent atque benedicerent. Ipsa intra Ecclesiam in vigilijs & orationibus perseuerans, missarum solemnities expectabat, deinde infirmos vbique auduit in vicino visitauit, necessaria præbuit: deinde pauperibus manum porrexit: hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit; neminem sine assatu blandodimisit, nullum sine munusculis ferè vel necessarijs adiumentis vacuum reliquit. Sæpe viatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore regiminis minuebat: & sicut scriptum est, quamuis sederet tanquam regina circumstante populo, semper & vbique tamen erat merentium consolatrix. Domesticos omnes famulos & ancillas varijs artibus, literis quoque instituit: nam & ipsa literas nouit, quas post mortem regis lucidè satis didicit. Ergo si omnes virtutes eius

velim

velim narrare, hora deficeret, facundia Homeri vel Maronis, si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum plena omni honore, plena operibus bonis & eleemosynis: cunctis diuitijs regalibus distributis seruis Dei & ancillis ac pauperibus 2. Id. Mart. animam Christo reddidit. Luitprandus eiusdem æui scriptor: Ubi & venerabilis coniunx regniq[ue] consors ex eadem gente nomine Mathildis, vltra omnes quas viderim & audierim matronas pro delictorum expiatione celebrare exequiarum officium viuamq[ue] Deo hostiam offerre non desinit. Ditmarus & ipse synchronos de morte Guilelmi & Mathildis hæc tradit: Insuper V[ilhelmus] sanctæ archipræsul Moguntia, cui cura ab Imperatore domino suimet & parente commissa fuit, Parthenopolin disponendi, ceteraq[ue] regimine necessaria regendi, cum egrotantis reginæ finem Mechthildis expectaret, in Reduluerothē Kl. Non. Martij moritur. Huius obitum nimia corporis infirmitate oppressa venerabilis regina nullo adhuc certa nuntio presentibus cunctis intimauit. Filius inquit, meus V[ilhelmus], pro dolor jam expirans, memoria indiget salutari. Et Luidolfus abbas Corbeiensis egregius, corporaliter sibi occurrentem illum nocte eadem, qua transijt videns obstupuit, & mortuum hunc esse confratribus nunciauit. Post hæc 5. Mechthildis 2. Id. Mart. migravit ab hoc exilio spiritum committens, ac creatori suimet reddens domino, sepultaq[ue] est coram altari Christi præsulis Seruati juxta seniore[m] suum: quia quem viuentem dilexerat, huic se mortuam coniungi quam diu dequirit, semper implorauit. De eadem idem scriptor: Interea Tammo natus est, & mens regis ab amore uxoris decrepescens ob pulchritudinem & speciem cuiusdam virginis nomine Mathildis secreto flagrauit: jam jamque latentis animi feruor erupit, & iniusto se hæctenus multum peccasse connubio tandem professus per affines legatosque suos filiam Theodoricæ & Reinildæ ex V[ikindi] regis tribu exortam, appellat, vt sibi satisfaceret. Et quia flexibilis est muliebris animus, & quia sciebat eum in cunctis elegantem, consensit, coniunctaq[ue] ei tam in diuinis quam in humanis par fuit. Quæ tres filios congruo pariens in tempore, Ottonem, Henricum & Brunonem, prospere educavit, dolorēq[ue] partus tantæ stirpis dulcedine superauit. Rursum Ditmarus de eiusdem pietate & religione iuuandi mariti defuncti. Et inclita venerabilis gesta Mathildis, quæ post excessum senioris sui summopere fecit, equidem paucis comprehendere ad imitationem bonam fidelibus cunctis. Quia sancta est, vt scriptura docet & salubris cogitatio pro defunctis orare, & eleemosynis absolutionem his impetrare. Legimus quod vnius captiui vincula, quem & vxor sua putans mortuum, assiduis procurauit exequijs, toties soluerentur quoties pro eo acceptabiles Domino patri hostias ab ea offerri procurarentur, vt ipse ei post retulit, cum domum suam liber reuisit. Hoc exemplo domina Mechthildis viro suimet vinculo momentaneæ mortis depresso succurrit, non solum pauperibus verum etiam auius victum subministrans. Congregationem quoque sanctorum in die tricesima supra memorata vrbe statuit, & huic quantum ad

Lib. 1. p. 10 v. 17.

N

victus

Irid. id. Mart.

Lib. 3. c. 2. p. 70

victus & sui vestitus necessaria suppetebat ex sua proprietate, laudantibus hoc summet filius concessit & scriptis confirmavit. Afferunt nonnulli eandem hoc summepere diu nisam fuisse, quod junior filius suimet Henricus, patris sedem possideret: Sed hoc dominus electos sibi ad vnaqueq. semper praeordinans, noluit, nec summatum optima pars consensit, sed ratione prudenti & ideo facile suadenti haec merentis reginae animum paulo minus a proposito declinavit, & huic Bauarios ad tuendum aptius assignari, praehabito sibi nato maiori consulitur. Fasti Romani: Halberstatti in Germania dormitio: B. Mathildis reginae, matris Othonis I. Imperatoris humilitate & patientia celebris. Cranzius eandem laudat: Erat autem Henrico regi (ut diximus) coniunx confors regni, clara atque nobilissima, nomen Mathildis, filia Theoderici Comitis de Ringelheim ex eadem Saxonum gente, cui fratres essent Vvedekindus, Immotus, atque Reginbertus: a quibus magna nobilitatis propago disseminata est. Hic est Reginbertus, qui pugnavit in Danos incursantes multoque tempore Saxoniam vexantes, vicique illos liberans patriam ab illorum incursionibus. Erant autem omnes hi, rex cum regina, & qui ante nominati sunt, ex stirpe Vvedekindi M. Ducis Saxoniae, qui bellum gessit in Karolum M. per annos xxx. Genuit autem Henrico Mathildis ante regnum Gerbergam filiam, quam despondit Giselferto Lotharingiae Duci. Filium quoque Ottonem industrium, vniuersum, elegantem, & omnibus naturae donis foris & intus abundantem, qui patri successit in regno. Post regiam verò susceptam dignitatem genuit Henricum patri cognominem, virum fortem & illustrem: quem post rebellionem Otto frater exaltauit, ex cuius etiam stirpe imperatores prodierunt: tertium genuit Brunonem pontificia dignitate Coloniae honoratum, & qui cum pontificatu ducatum Lotharingiae administraret: quod suo loco memorabimus. Procurauit illa filio suo Henrico apud Othonem M. Boiariam, ut cum aliis docet VVitikindus: Illis diebus Bertholdus frater Arnulphi procurabat Baioariam, pugnansque contra Vngaros, victorque existens triumpho celebri factus est clarus. Igitur cum omnia regna coram eo (Othone) silerent, & potestati ipsius omnes hostes cederent, monitu & intercessione sanctae matris eius recordatus est multis laboribus fatigati fratris, praefecitque eum regno Baioariorum. Bertholdo jam defuncto pacem & concordiam cum eo faciens, in qua usque in finem fideliter permansit. Erat autem ipse Dominus Henricus copulatus matrimonio filiae ducis Arnulphi, faminae egregiae formae, mirabilisque prudentiae. Haec VVitikindus, quae Cranzius copiosius Illustrat: Nec longum, inquit, tempus in medio, cum moriente Bertoldo Bauarorum duce sine prole, eiusdem matris precibus rex flexus ducatum illi donauit, cum omni juris solennitate. Habebat enim Henricus coniugem filiam Arnoldi quondam Bauariae ducis (ut etiam illa ratione non extraneus videretur) feminam prudentem & omni flore pudicitiae formaeque multis praestantem. Filij autem Arnoldi memorati propter perfidiam patris & propriam, a ducatu exclusi, Comites erant Bauariae: quamuis alter ex his Rodolphus coniugem teneret Germanam Ottonis & Henrici. Ex hoc autem

autem die Henricus dux Bauariæ fratri regi semper fidelis permanebat. Nec
 Vrspergensis, quem prius laudatū oportuit, silentio transmisit no-
 bilissimam reginam: Erat autem regi Henrico vxor & consors regni clara &
 nobilissima nomine Mathilda, filia Theodorici ex eadem Saxonū gente, cuius fra-
 tres erant Witikind & Immod & Reginbern. Reginbern autē ipse erat qui pugna-
 uit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitq; eos liberans patriam
 ab illorum incursionibus vsq; in hodiernū diem. Et hi erant ex stirpe magni ducis
 Witikindi, qui bellum potens gessit contra Carolum M. per annos ferme triginta.
 Genuit autem Henrico Mathilda ante regni susceptionem filiam Gerbergā, quam
 Gisilberto Duci Belgicæ dederat: filium quoq; Othonem mundi amorem. Post re-
 giam verò dignitatem genuit secundum, quem patris nomine vocauit Henricum,
 virum fortem & industrium, patientia satis ornatum, consilio prouidum, vultus
 nitore gratiosum: tertium quoq; filium genuit, nomine Brunonem, quem pontificis
 summi ac ducis magni officiū vidimus gerentem. Auentinus: Primus, inquit,
 Saxonum, qui Boius imperauit, est Hainricus, frater Germanus Imperatoris Ot-
 tonis M. Caesaris Augusti. Is vultu patrē referebat, idcirco plus à Liua Mathilda
 matre sua amabatur. Huius precibus Otto exoratus fratri Hainrico ducatū Bo-
 iariæ mortuo Berchtoldo tradit: Hainricus post hac bonus fidusque regni mansit.
 Fabricius de eadem Henricus animum postea ad Mathildim adiecit, non
 regis Francia Ludouici filiam, vt Buchetus scribit, Placentie modo dictæ sororem;
 sed filiam, (vt Gemblacensis) Comitissæ Ringelheimij Diterici, qui ē Vitichindi
 Saxonie regis stirpe, non minus atq; Henricus ortū trahebat: Erat enim Mathil-
 dis Vitichindi abneptis: Henricus verò Brunonis fratris Vitichindi pronepos:
 fratres Mathildis erant clari illi & insignes viri, Vitichindus, comedus & Re-
 dibertus, de quib. dicitur lib. 5. Ex ea genuit filios tres. Ottonē, Henricum, Bru-
 nonem. Othonem quidem antequam imperator fieret, reliquos duos in ipsa imperij
 dignitate filias tres, sed ante imperij vnicā Gerbergā factus imperator, Hedwigim,
 & Mathildim, quā Ganguinus Engelbergā vocat, & Othonis ait filiā, deprauatē.
 Gerberga vxor collocata primū Gisilberto duci Lotharingiæ; deinde Luduico VII. regi
 Francia. Hedwigis vxor fuit Hugonis Comitissæ Parisiensis, cognomento Magni. Cuspinia-
 nus iterum inconsultō pro Hugone Othonem, pro Hedwigij, ponit Adelheidim Buchetus som-
 nians, Egondam. Harum duarum filiarum meminisse Corbeiensis, duas reliquas ipse præter-
 mittit, sed nominant annales Brunswigij. Richisam collocat Arnolfo Guelphi II filio, Comiti
 Aladorsio ex Rauenspurgio in Bauaria Mathildim creat sacerdotē maximā in canobio Que-
 dilnburgio, quod pater ipsius extruxerat. Idem: vxor eius obiit atate prouecta, annū agens
 circiter septuagesimum septimum prid. Id Martij anno supra noningentesimum sexagesimo
 nono: & iuxta maritum conditur. Ad quorum etiam latera Mechtildis filia, societas Quē-
 dilnburgiæ prima sacerdos maxima conditur. vt ē monumentis licet cognoscere. Petrus Cra-
 tepolius: S. Mettildis mater Ottonis I. imperatoris matrona religiosissima. Fuit plena omni-
 bus bonis operibus, humilis, patiens & adeo deuota & feruens in oratione, vt totum psalterium
 memoriter tenuerit, & perorare per singulos dies consueuerit. Cum mortem vicinam ex pro-
 phetico spiritu iam prauideret, ad eam se totis viribus preparauit & ad Christum virtutis spe-
 culum feliciter migravit. In Quendelberg monasterio quod ipsa fundauit, requiescit.

Pag. 207.

Lib. 5. p. 389. edit.
Basil.L. 2. p. 125.
De SS. Germ. p. 109.